UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Bvgenhagii Pomerani Annotationes ab ipso iam emissæ. In Deuteronomium

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Capvt XVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133

Visual Library

ſti euangelium conſpirauerunt, Dominus infatuabit conſilia eorum &c. In caſtra.

Nomē Hebraicum relinquendū erat, In Machanaim, quæ eſt ciuitas, Ioſue. 21. Alioqui ſequētia nō intelliges.

Amaſa autem erat.

Hoc interſeritur ut uideas quid ueræ cauſæ habeat Ioab occidendi Amaſam infra cap. 20. licet & alia quoq; ſit, ſed non adeo turpis, quā non poteſt ſuæ impietati prætendere Ioab infra cap. 19.

Cumq;. Vt ſupra prouidentia dei erga Dauid proditione conſiliorum Abſalonis & diſſipatione deſcripta eſt, ita & hic ciborum & neceſſariorū amminiſtratione. Quis enim in talibus tentationibus ſubſiſteret, niſi ſubinde ſuam pater erga nos prouidentiam uel obſcuriſſime declararet? quid enim clare, licet clariſſimum, uidere licet in obſcuro tentationis?

CAPVT XVIII.

PErit Abſalon cum multis hypocriſi eius deceptis ubi Dauidem quærit ad mortem, ut ipſe regnet, & à crine pendet, ut iſta pulchritudine & ſpecie periiſſe uideas quæ ſupra ad miraculum uſq; deſcripta eſt, quæ quid erat niſi crines, id eſt uanitas? Ad hoc quoq; pertinet uanus titulus nō ab aliis, ſed ab ipſo ſibi erectus, ut uanum nomen obtineat dum hæredes filios non ha

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bet. Sic perierunt & Iudæi Chriſtum regnare nolen-tes, qui ſpecie & hypocriſi operum legis gloriantes, præter nomen ſanctitatis nihil habẽt pietatis, atq; iſta hypocriſi excæcati pereunt. Sic & fit omnibus euan-gelij aduerſarijs, qui quid hodie habent præter ſpeci-em pietatis & uanos titulos? & his ipſis excæcati ſua pereunt ambitione & hypocriſi, & Chriſtus ſedet ſu-per regnum eius in æternum. Præterea quam innocen-tiam & pietatem ſeruarat Dauid in aduerſariũ Saul eandem ſeruat in Abſalonem, præcipiens ne occida-tur Abſalon & lugens occiſum, ut uideas exemplum diligendi inimicum, qui tamen ſeruari non poteſt iu-dicio dei. Vellent quidem pij, quemadmodũ ſecundũ hominem uoluit & ipſe Chriſtus, impios ſeruari, & à blaſphemia uerbi dei auerti, ſed ubi agnouerint ex dei iudicijs dei uoluntatem, aiunt, Non mea pater ſed tua fiat uoluntas. Iuſtus es domine & rectum iudiciũ tuum. Iudicia tua abyſſus multa &c. Ad hoc ſuſcitat deus impios, ut Pharaonem, ut perſequãtur ueritatem & furere non deſinant, ut tandem intereant &c.

Igitur conſiderato &c.

Quæ humanæ prudentiæ ſunt & rationis in re mili-tiari non negligit Dauid, ne tentet deum, Cæterum in talibus non confidit, ſed rem omnem cõmittit deo, ſe-cundum uerbum quod dixerat, Si dixerit mihi, non places, præſto ſum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Multo plures.

Non tam loci incommoditate quàm iudicio dei in eas neceſſitates urgente, pugnabat enim hic deus pro Dauide.

Suſpenſo.

Extrema deſperatio aduerſariorũ Chriſti & ſacri eius euangelij uſq; in finem mundi, hac ſuſpenſione declarata eſt, in qua dum confodiuntur gladio uerbi dei à populo Dauidis, id eſt Chriſti, excæcantur & intereunt, & mortui præmuntur aceruo lapidum, quia iudicio dei excæcati redire ad uitã & ueritatem non poſſunt, quemadmodũ dictum eſt Eſaiæ. Excæca cor populi huius &c. Quid his prodeſt uanum nomẽ & regni Chriſtiani titulus?

Cecinit. Prudentia iſtius Ioab pro ſuo miniſterio ubiq; deſcribitur. Neq; uero imprudens factum uidebatur occidere Abſalonem contra præceptum regis. Non enim cenſebat aut regi aut populo cõmodum ut Abſalon ſeruaretur &c. Neq; Dauid moriturus in hoc accuſat Ioab &c.

Non habeo.

Vides iudicium dei, ut pereat iſtud regnũ. Mortui enĩ ſunt filij qui ſupra ei geniti ſcribuntur.

Si ſolus.] quia ſi plures ſimul fuiſſent, fuiſſet ſignum fugati & proſtrati exercitus.

CAPVT XIX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN